Fragmentarium



lorus exhiberet. Mater tamen eius claudia et fratres eius avitus et sergius nulla
poterant ratione consolari: sed erant semper intolerabiliter eam lugentes.
Beata vero eugenia virili habitu tertio anno in predicto monasterio virorum
permanebat: atque ita in divinis eruditionibus profecit: ut intra secun-
dum annum omnes pene scripturas dominicas memoriter retineret. Tanta
vero in ea erat animi tranquillitas: ut unam illam omnes dicerent ex numero
angelorum. Quis enim deprehenderet quod esset femina. quam ita virtus
christi et virginitas immaculata protegebat: ut mirabilis esset et virtus.
Sermo enim eius erat humilis in caritate: et clarus in medio certamine;
Vicii carens et facundiam fugiens: omnes in humilitate supera-
bat. Nullus ad commodum illi inveniebatur aut velocior: efficiebatur omnibus
omnia. Tristes consolabatur: letis congaudebat: iracundos placido
suo sermone mitigabat. Superbientes suo ita edificabat exemplo:
ut oves subito ex lupis factos crederes delectari. Tantam autem a deo
gratiam consecuta est ut quemcumque in dolore infirmitatis positum
visitasset: statim omnis dolor abscederet et omnis salubritas adveniret.
Comites autem eius protus et iacinctus plene imitabantur [illegible] omnibus
opitulantes ei. Igitur tertio anno conversionis sue: abbas qui preerat
monasterio migravit ad dominum. Post cuius excessum omnibus
visum est: ut beatam sibi eugeniam eligerent abbatem. Tunc be-
ata eugenia metuens se feminam contra regulam viris preponi:
item timens ne omnium unanimitatem se obsecrantes sperneret: ait ad
eos. Obsecro vos ut evangelium in presentem adhibeatis. Quod
cum fuisset allatum dixit. Quotienscumque christianis aliquid di-
cendum est: christi ante omnia obaudiendum. Videamus quid in hac
lectione nostra quid ipse precipiat: ut et vestris iussis et eius mo-
nitis obtemperemus. Et revolvens codicem: venit ad locum et ce-
pit legere dicens. Dixit ihesus discipulis suis. Nescitis quia prin-
cipes gentium dominantur his quibus maiores sunt et principa-
tum eorum gerunt: apud vos autem non sic. Sed si quis in
vobis vult esse primus: sit vester ultimus. Et si quis inter vos voluerit
esse dominus: sit vester servus. Et his lectis adiecit. Ecce in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, lat. 5288, ParisBNFlat05288_049_f020r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-k57p/418/5885)